



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

II. Quis habitus sit Theologia nostra?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

Caietanus.

tia propriè dicta. Nec refert quod 1. p. quæstione 1. art. 2. absolutè dicat, Theologiam esse scientiam, quoniam vt Caietanus interpretatur, intelligitur de Theologia secundum se, non autem de Theologia nostra, quæ est imperfectè scientia.

Scotus.
Mayronus

26. Quæri autem ulterius potest, an saltem notitia illa, quam de rebus Fidei habuerunt Prophetæ, & Apostoli per euidentiā motiui formalis, & ipsius attestationis Diuinæ, fuerit vera & propria scientia. Affirmant Scotus in tertio Distinct. 24. § sed si loquamur, & Mayronus q. 14. Prologi. Fundamentum est: quia talis notitia erat euidens; procedebat enim ex duabus præmissis euidētibus, vna erat: quod quidquid à Deo reuelatur, est verum; altera, quod hoc sit à Deo reuelatum. His enim duabus præmissis euidētibus positus, cogebatur intellectus Prophetæ assentiri obiecto reuelato.

27. Mihi verò cum alijs est negandum. Ratio sequitur ex dictis: quoniam ad scientiam propriè dictam requiritur euidentiā rei: Nec sufficit euidentiā extrinsecæ attestationis: Nam adhuc ea posita, intellectus dicitur assentiri per extrinsecum, & non per proprium testimonium, quod in ipsa rei euidentiā consistit: quā euidentiā caruerunt Prophetæ, solumque habuerunt euidentiā extrinsecæ attestationis Diuinæ, quæ quia nec falli, nec fallere potest, cogebatur eorum intellectus ad assensum præbendum. Quia tamen assensus ille non eliciebatur ex intrinseca euidentiā obiecti, sed ex extrinseca euidentiā attestationis Diuinæ, non poterat dici propriè scientia: licet potiori ratione, quàm Theologia nostra, quæ non solum caret euidentiā rei, sed etiam attestationis.

28. Dico quartò. Etsi Theologia nostra non sit vera & propria scientia, dici tamen potest aliquo modo scientia; tum propter summam certitudinem suorum principiorum; tum propter modum procedendi scientificum, ex principijs summa certitudine conclusiones inferendo: non tamen vniuocè scientia cum reliquis, quæ caret potissimo prædicato scientiæ, quæ est euidentiā obiecti: Non tamen est æquiuocè tantum scientia, cum non conveniat in solo nomine cum reliquis scientijs; sed dici potest analogicè scientia; tum analogia proportionis, propter intrinsecam convenientiam in certitudine, & modo procedendi; tum attributionis, propter habitudinem, quam dicit ad perfectam scientiam Beatorum. Conclusio constat, tum ex modo loquendi Scripturæ & Patrum, qui eam appellare solent scientiam: tum ex scholasticis ipsis, qui quamuis eam negent esse perfectam scientiam, imperfectam tamen non negant. Cæterum ratio illa, qua aliqui videntur, ideo Theologiam nostram non esse scientiam, quia est de rebus indiuiduis, cum hæc Auctore Aristot. 6. Ethic. tertio sit de rebus vniuersalibus; non vrget: nam quando

Aristoteles

indiuidua sunt immutabilia, siue per se, vt Deus, siue vt substantiæ scientiæ Diuinæ, quo pacto illa sunt obiectum Theologiæ, poterit de illis esse scientia.

S E C T I O II.

Quis habitus sit Theologia nostra?

29. **R**ATIO Dubitandi sequitur ex dictis, quoniam cum Theologia nostra defectu euidentiæ non sit scientia, non videtur quænam alia virtus intellectualis esse possit ex reliquis, quas enumerat Aristot. 6. Ethic. Non enim est Intellectus aut Sapientia: vtraque enim requirit euidentiā obiecti; ille primorum principiorum circa quæ versatur; hæc primarum altissimarum quæ causarum de quibus disputat. Non Ars, aut Prudentia: Nam illa in factiōne, hæc in actione versatur. Præter hos autem nullum alium agnoscit intellectualem habitum Aristoteles Nam Fidem & opinionem, cum formidinem includant, à virtutibus intellectualibus excludit.

Aristot.

31. PRIMA Sententia affirmat Theologiam esse habitum declaratorium, & defensionem veritatum reuelatarum, non autem adhesionem, aut inclinationem in veritates reuelatas, aut in nouas ex reuelatis deductas. Est Aureoli quæstione 1. Prologi articulo 3. & in primo Distinct. 48. articulo 3. Et enim tria sunt, quæ intellectum impediunt, ne assensum faciliè præbeat in obiectum, quod aliqui certissime credit: obscuritas terminorum; rationes in oppositum inclinantes, & vbi nullæ apparent probabiles rationes, & exempla, quæ intellectum manuducant ad assentiendum. Ille igitur habitus, qui terminos explanat, rationes in oppositum soluit, & exempla, rationesque manuducantes adducit, ille est tantum declaratiuus, & non adhesionis. Talis est habitus Theologicus, qui non inclinat intellectum per assensum ad obiecta reuelata, aut in veritates in illis implicite contentas, ad quas tantum inclinat Fides; sed declarat tantum, & defendit illas contra impugnantes. ergo.

31. Confirmat: quoniam, si habitus Theologicus esset adhesionis, aut esset adhesionis in conclusiones probabiliter, aut euidenter deductas ex principijs reuelatis: neutro modo est adhesionis. ergo. Sequela Maioris probatur: Nam dupliciter potest conclusio deduci ex principio reuelato; vno modo probabiliter, alio modo euidenter: probabiliter; si ex vna propositione reuelata, & altera probabili deducatur conclusio opinabilis hoc modo: Christus est homo: homo constat intellectu & voluntate distincta: ergo Christus constat intellectu, & voluntate distincta: euidenter; si ex vna reuelata, & altera naturali

naturali

turali euidente deducatur conclusio certa hoc pacto: *Christus est Filius Dei: Filius distinguitur à Patre: ergo Christus distinguitur à Patre.* Minor probatur. Nam conclusioni euidenter deductæ ex præmissa reuelata intellectus adhæret assensu Fidei: eodem quippe assensu, quo assentimur principiis reuelatis, assentimur ijs, quæ implicitè continentur in reuelatis. Vnde qui tales conclusiones negat, est hæreticus. Conclusioni verò probabiliter deductæ adhæremus assensu opinatiuo & formidoloso: Absurdum autem est, ponere habitum Theologicum opinatiuum & formidololum: ergo.

Syluester.

32. SECUNDA Sententia docet, Theologiam esse ipsum habitum Fidei infusæ, quatenus extenditur ad conclusiones ex reuelatis deductas. Quæ extensio non addit nouam qualitatem, ab habitu Fidei distinctam; sed eundem tantum extendit ad nouam veritatem explicitè credendam: sicuti habitus scientiæ acquisitus circa vnā conclusionem extenditur circa aliam sub eodem motiuo formali. Est Syluestri in Conflato quæst. 1. art. 10. & 11. Fundamentum est: quoniam obiectum Fidei & Theologiæ est idem: sed habitus vnitate sumunt ab obiectis: ergo. Maior prob. Nam sub eodem testimonio Dei tendit Fides in obiectum immediatè reuelata, & habitus Theologicus in conclusiones ex reuelatis euidenter deductas: cum non minus sit hæreticus, qui negat conclusiones ex reuelatis euidenter deductas, quàm qui negat obiecta ipsa immediatè reuelata.

Scotus.
Ockam.
Maior.
Gabriel.

33. TERTIA Sententia asserit, Theologiam esse habitum Fidei acquisitæ est Scoti in 3. dist. 35. q. vnica, Ockami qu. 3. Prologiliter o. Maioris q. 4. §. 40. patet, Gabrielis q. 7. litera cap. Valsq. 1. P. Disp. 5. c. 3. Fundamentum est: quia siue dicamus, principia Theologiæ esse veritates reuelatas humana fide creditas, siue diuina Fide cognitatas, semper habitus Theologicus deductiuus nouarum veritarum ex principiis reuelatis pertinebit ad Fidem non infusam, quia hæc non inclinatur nisi ad veritates immediatè reuelatas ex solo testimonio Dei; ergo ad acquisitam. Assumptum probatur; quia cum sit habitus certus, & ineuidens, non videtur ad quem alium pertinere possit, quàm ad fidem acquisitam.

Aureolus.

S. Thomas.

Aureolus.

34. DICO 1. Theologia non est habitus tantum declaratiuus, & defensiuius articuloꝝ Fidei: Est omnium contra Aureolum. Fundamentum est: quia habitus Theologiæ non solum est declaratiuus & defensiuius articuloꝝ, sed etiam deductiuus conclusionum ex articulis reuelatis, vt S. Thomas docet 1. p. quæst. 1. art. 8. & nos infra probabimus. Confirmatur, quia si Theologia esset habitus tantum declaratiuus, & defensiuius articuloꝝ, neque excederet naturam opinionis, quod non admittit Aureolus; neq; esset propriè habitus Theologicus. Prior pars sequelæ probatur: Nam habitus specificationem sumit ab obiecto formali, quod in speculatiuis est medium, quo ostenditur con-

clusio: Vnde eadem conclusio per diuersa media pertinere potest ad diuersas scientias. Media autem, quibus Theologus declarat veritates reuelatas, non sunt nisi exempla, similitudines, & rationes probabiles, vt ipsemet Aureolus testatur: atqui hæc non gignunt nisi solam probabilitatem: ergo si Theologia est habitus tantum declaratiuus articuloꝝ Fidei, non excedit naturam opinionis. Minor subsumpta patet, quia nequeunt maiorem certitudinem gignere, quàm habeant in se. Consequentia verò constat, quoniam opinio specificatur à medio, quo ostenditur, & declaratur conclusio. Nec satisfacit Aureolus, negando talem habitum esse opinionem, eò quod non inclinet ad assentiendum, sed tantum ad declarandum, explicandumque obiectum ipsum reuelatum: quia nequit mentalis declaratio fieri, nisi per mentales assensus, quibus intellectus iudicet, hæc exempla & rationes conducere ad explicandam veritatè reuelatā, hæc aut illa media esse apta ad ostendendum, quod Dei reuelatio de tali obiecto sit facta.

35. Posterior pars sequelæ probatur: Nam sæpe Theologus ad defendendos articulos Fidei contra infideles vititur ministerio aliarum scientiarum, aut Logicæ, si vitium sit in forma; aut Metaphysicæ, si oppugnantem redigat ad impossibile: ergo si Theologia est habitus tantum defensiuius articuloꝝ, non erit propriè Theologia, sed alia scientia, eam mirum cuius Ministerio Theologus vititur ad articulum oppugnatum defendendum.

Ad fundamentum Aureoli.

36. AD Fundamentum Aureoli negatur minor, eiusque probatio. Similiter ad Confirmationem negatur minor, & eius probatio: falsum quippe est, eodem assensu nos assentiri principiis, & conclusionibus ex principiis deductis, vt infra explicabo.

Contra Syluestrum.

37. DICO 2. Theologia non est habitus Fidei infusæ, quatenus extenditur ad nouas conclusiones ex reuelatis deductas. Est omnium contra Syluestrum. Probant aliqui ex eo, quod habitus principiorum est diuersus ab habitu conclusionum: atqui Fides infusa versatur circa principia; versatur enim circa articulos, qui sunt principia Theologiæ, Theologia verò circa conclusiones deductas ex articulis: igitur non poterit esse idem habitus Theologiæ & Fidei. Maior est cõmunis & docet S. Th. in 3. dist. 23. q. 1. a. 4. q. 3. ad 3. his verbis: *Principia speculatiua cognoscuntur per alium habitum naturalem; quàm conclusiones, scilicet per intellectum; conclusiones vero per scientiam.* Quos habitus Arist. vt essentialiter diuersos enumerat 6. Eth. Verum hæc ratio non conuincit; Nam vt acutè Scot. in 3. Dist. 35. q. vnica in habitu naturali principiorum & conclusionum motiuum assentiendi, quod est motiuum specificandi habitus scientificos, est diuersum: est enim ipsa connexio terminorum, quæ alia est in principiis, alia in conclusionibus: At in habitu principiorum Fidei, & conclusionum motiuum formale assentiendi non videtur esse diuersum; cū sit eadem auctoritas Diuina mediata, vel immediata applicata.

S. Thomas.

Aristot.

Scotus.

Non igitur

Non igitur valet argumentari ex distinctione habitus principiorum, & conclusionum naturalium, ad distinctionem habitus principiorum, & conclusionum Fidei, nisi in materia propria ostendatur, motuum formale assentiendi principijs reuelatis esse diuersum à motuo formali assentiendi conclusionibus ex illis deductis.

38. Hoc autem ego sic probo: illud est motuum formale assentiendi, quo intellectus adequatè mouetur ad assensum præbendum: atqui motuum, quo intellectus adequatè mouetur ad assensum præbendum principijs reuelatis, est sola auctoritas Dei reuelantis: motuum verò, quo adequatè mouetur ad assensum præbendum conclusionibus ex reuelatis deductis, non est sola auctoritas reuelantis, sed naturalis etiam connexio earum cū principijs reuelatis: Ex eo enim quòd cū homine Christo, principio reuelato, naturalem connexionem habet risibilitas, intellectus assentitur; Christum esse risibilem. Atqui hæc diuersa est à sola auctoritate Dei reuelantis: ergo & assensus, qui talibus motuibus innituntur, diuersi erunt: atque adeo habitus, qui ad huiusmodi assensus inclinant, erunt quoque diuersi: cū habitus distinguantur penes actus, & obiecta, ad quæ tendunt.

Ad Fundamentum.
Syluestri.

39. Ad Fundamentum Syluestri nego idem esse obiectum formale Fidei infusæ, & habitus Theologici; nam illius est solum testimonium Dei; huius verò, ut modificatum naturali connexionem conclusionis deductæ cum principio reuelato. Nec est eadè ratio de habitu naturali, extendente se ad nouā conclusionem sub eodem motuo formali adequato. Ad probationem verò maioris ideo, qui negat conclusionem euidenter deductam ex principio reuelato, haberi vt hæreticum, quia non censetur negare illam secundum naturalem connexionem, quam habet cum principio reuelato, sed principium ipsum reuelatum, ex quo illa per euidentem consequentiam deducitur. Pro cuius explicatione,

40. Nota conclusionem ex principio reuelato deductam considerari dupliciter, vno modo, vt deductam formaliter, hoc est vt naturalem connexionem habentem cum principio ipso reuelato: ita vt deductio ipsa, seu naturalis connexio cum principio ingrediatur formale motuum assentiendi. Alio modo modo materialiter; ita vt deductio ipsa, seu naturalis connexio cum principio, nō ingrediatur formale motuum assentiendi, sed habeat se tantum, vt conditio explicans, talē conclusionem fuisse implicite in principio ipso reuelatam: adeo vt tota ratio assentiendi sit ipsum testimonium Diuinum, quod explicitè cadit supra principium expressè reuelatum, & implicite supra conclusionem, in principio reuelato virtualiter contentam. Primo modo est obiectum Theologiæ, quia nititur immediate & proximè connexioni naturali; Secundo modo Fidei, quæ immediate tendit ad conclusionem ex solo testimonio Diuino, habente se deductione, vt præiunctum conditione

explicante, talem conclusionem esse cum principio ipso implicite reuelatam. Quod sub alijs terminis dici solet conclusio vt deducta, & vt explicata. Et quidē vt deducta est obiectum Theologiæ, vt explicata verò Fidei: quia vt sic deductio non est ratio assentiendi, sed pura conditio explicans, talem conclusionem virtute contineri in principio ipso reuelato.

41. Quæ explicatione posita, intellectus nō ex ipsa naturali connexionem, sed ex solo testimonio Dei mouetur ad assentiendum conclusioni: quod est illi assentiri vt deductæ materialiter, non vt deductæ formaliter. Vnde qui illam negaret, vt deductam materialiter, esset hæreticus: qui verò illam negaret, vt deductam formaliter, non esset, sed præsumeretur hæreticus: eò quòd non præsumeretur negare ipsam euidentem deductionem, sed principium reuelatum, ex quo illa euidenter deducitur. Hinc collige, quo pacto idem habitus Fidei de nouo se extendat ad conclusionem, ad quam antea non se extendebat: quia nimirum antea non erat talis conclusio per Ecclesiæ declarationem sufficenter proposita; quæ Ecclesiæ declaratio, vt suppono ex materia de Fide, est necessaria conditio, sine qua obiectum Fidei nō censetur sufficienter propositum, vt credatur saltem ab omnibus.

42. Dico 3. Theologia non est habitus Fidei acquisitæ. Est Rubionis qu. 7. Prologi c. 2. Argent. q. 1. ar. 1. §. his præmissis. Molinæ 1. p. qu. 1. art. 2. disp. 2. & communis inter Recentiores. Fundamentum est: quia Fides siue humana, siue diuina, immediate nititur in sola auctoritate dicentis: per hoc enim distinguitur Fides à quocunque alio habitu, siue scientifico, siue opinatio. Atqui habitus Theologicus non nititur immediate in sola auctoritate dicentis, sed etiam in naturali discursu, & euidenti connexionem conclusionis cum principio reuelato, vt probatū est: igitur non est idem cum fide acquisita. Quæ ratio equè probat, siue principia reuelata concurrant ad assensum Theologicū, vt credita fide diuina, siue humana, contra Vasquez putantem, habitum Theologicum solum distinguī à Fide acquisita, quando articuli reuelati concurrunt ad assensum Theologicum, vt crediti Fide infusa, non autem quando concurrunt vt crediti Fide humana: nam vt vtrius modo concurrant, semper motuum formale assensus Theologici erit diuersum à motuo formali assensus articulorum: nam horū motuum est sola auctoritas; vel diuina, si concurrant crediti Fide diuina; vel humana, si concurrant crediti Fide humana; illius verò est euidens connexio conclusionis cum principio ipso credito.

Rubio.
Argent.
Molina.

Vasquez.

43. Dico 4. Theologia est habitus medius inter fidem & scientiam. Est omnium, qui nobiscum sentiunt Theologiam neque esse veram scientiam, neque fidem: cum enim illa vera scientia non sit defectu euidentiae: nec propriè Fides vel acquisita, vel infusa; eò quòd non nitatur sola auctoritate dicentis, sed naturali etiam discursu, & euidenti con-

nexionem

nexione proprietatis cum principio credito; necessarium erit habitus ab utroque diversus, mediūque inter illas: nam de Fide participat in eandem, & certitudinem consequentis; de scientia verò euidentiā consequentis, & modum deducendi conclusiones per discursum. Vnde qua pollet euidentiā, & modo deducendi suas conclusiones per naturalem discursum, distinguitur à Fide, & convenit cum scientia; qua caret euidentiā consequentis, & pollet certitudine maiore, quam habere posset per quācumque naturalem euidentiā, differt à scientia, & convenit cum Fide infusa. Convenit etiam cum sapientia, quatenus tractat de rebus altissimis, & per causas primas & dignissimas.

44. Hinc patet ad Fundamentum tertiæ sententiæ, & ad rationem dubitandi initio positam: nam licet Theologia nostra nullus sit habitus ex ijs, quos Aristoteles enumerat, cum illum non cognoverit, quippe cum supponat principia reuelata, quæ ipse non cognovit, est tamen habitus intellectualis alterius rationis, ut à nobis supra explicatum est.

Aristoteles.

SECTIO III.

An ad assensum Theologicum concurrant principia reuelata cognita Fide humana, an diuina, an cognitione naturali?

45. **C**UM assensus Theologicus sit assensus in conclusiones deductas ex principiis reuelatis, ex quibus necessario procedit Theologia; nec possit ex huiusmodi principiis procedere, nisi ut cognitis & acceptatis ut veris: cognosci autem, & acceptari possunt, ut vera, aut Fide humana per miracula & signa excludentia omnem dubietatem; aut Fide Diuina, per solum testimoniū Dei; aut cognitione naturali eidente, quo pacto cognoscitur, Deum esse, qui tamen est articulus reuelatus; controuersia est, qua notitia debeant esse cognita principia reuelata, ut concurrere possint ad assensum Theologicum.

46. PRIMA sententiā esse posset, sufficere, ut ea sint cognita cognitione dumtaxat naturali. Fundamentum esse potest: quoniam ad assensum Theologicum sufficit, ut procedat ex principiis reuelatis, etiam si procederet ex ijs lumine tantum naturæ notis: quia, ut suppono, una notitia non impedit aliam. Confirmatur, quia sæpe Theologia ex uno principio reuelato, & altero euidenter noto procedit ad conclusionem Theologicam: ergo non repugnat assensui Theologico procedere ex principiis reuelatis, euidente notitia cognitis.

47. SECUNDA sententiā affirmat, principia reuelata ad assensum Theologicum con-

currere, ut credita tantum Fide humana per signa, & auctoritatem excludentem omnem dubietatem. Est Maioris qu. 4. Prologi §. 2. patet. Vasquez 1. p. disp. 3. nu. 23. Hæc sententiā probatur exemplo, quod citato loco affert Maior: quia potest in hæretico, in quo nulla est Fides infusa, esse assensus Theologicus in aliquam conclusionem Theologicam: ergo assensus Theologicus non necessario nititur principiis reuelatis diuina Fide creditis. Consequentia constat. Antecedens probatur, quia qui negat unum articulum, non necessario negat reliquos: at uno negato destruitur Fides infusa, ut ex materia de Fide suppono: igitur poterit hæreticus negans unum articulum habere assensum Theologicum circa conclusiones deductas ex reliquis articulis humana Fide creditis.

Maior. Vasquez.

48. TERTIA sententiā docet, ut principia reuelata concurrere possint ad assensum Theologicum, necessario debere esse credita Fide diuina. Est Molinæ 1. p. q. 1. ar. 2. disp. 6. in fine, Valent. q. 1. puncto 5. Fasoli dubit. 7. Gillij lib. 1. tract. 2. c. 7. & aliorum. Fundamentum Molinæ est: quoniam assensus Theologicus est in essentia supernaturalis; non potest autem esse in essentia supernaturalis, nisi principium reuelatum influat in assensum Theologicum, ut creditum Fide diuina. Maior supponitur. Minor probatur, quia principium non influit in assensum conclusionis, nisi medio assensu sui: unus autem assensus, ut alium supernaturalem in essentia gignat, requirit ut ipse quoque sit in essentia supernaturalis. Ut igitur principium reuelatum per assensum sui gignere possit assensum supernaturalem conclusionis Theologicæ, oportet ut sit creditum assensu Fidei infusæ, nam hic tantum est in essentia supernaturalis. Fundamentum aliorum est: quoniam Theologia excedit quoad certitudinem omnes scientias naturales: non excederet autem omnes scientias naturales, si ipsius assensus causaretur à principio reuelato credito tantum Fide humana, imò esset illis quoad certitudinem inferior. Maior est axioma Theologorum. Minor probatur, quia nequit assensus esse certior principio, propter quod elicitur: ergo si principium, propter quod Theologicus assensus elicitur, esset articulus reuelatus creditus fide humana, non excederet certitudinem fidei humanæ.

Molinæ. Valentia. Fasolus. Gillius.

49. DICO 1. Veritas reuelata cognita notitia euidente naturali non potest esse principium Theologicum discursus. Fundamentum est, quia Theologicus discursus est essentialiter ineidens; ergo non potest gigni ex principio euidenter noto. Consequentia claret: quia ex principio euidenter noto per euidentem consequentiam deducitur conclusio euidens. Antecedens probatur, quia Theologia nostra per hoc tantum differt à Theologia Beatorum, & ab omni alia scientia naturali, quod sit ineidens & obscura, fundatur enim in solis principiis diuinā Fide reuelatis.

50. AD Fundamentum oppositæ sententiæ

nego